

mes fuit penitentiae publicae, nec ulla Ecclesiae lege Confessionis publicae subdita fuere omnia ea peccata, quae publica penitentia castigantur.

Propositio imprimis patet ex N. 23. ubi probavimus Confessionem publicam generaliter non fuisse praecipit. Secundo, quia nullus Canon adduci potest, qui talibus criminibus penitentiam publicam praescriberet. Tertio, quia habemus Canones, qui certa peccata publicare prohibebant, qualis est C. 34. S. Basilii in Ep. Can. ad Amphil. ubi ait: Adulterio pollutas Mulieres & continentis ob pietatem, vel quomodocumque convictas, publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam praebearum: eas autem stare sine communione iusserunt, donec impleteret tempus penitentiae. Nec obsunt exempla publicae Confessionis supra relata; id enim fecerunt compuncti homines ex pietate, non vero ex lege aliqua positiva Ecclesiae.

27. Antiquissimis temporibus consuetum fuit facere generalem omnium aetate vite peccatorum Confessionem.

Saeculo enim V. narrat Sozomenus supra relatus, Mulierem illam sigillatim enuntiasse delicta omnia à se post baptismum commissa. De S. Aredio Saeculo VI. testatur Gregorius Turon. confessum fuisse omnia adolescentiae suae acta coram Episcopo Nicetio. Alia exempla vide apud Bertum.

28. Confessio subinde in Ecclesia per litteras facta fuit.

Id variis exemplis probat Witasse. Primo Mulieris, quae auctore & probante Joanne Elemosynario scelus, quod non est aucta coram confiteri, scripto confessus est. Secundo cuiusdam Angli, cujus meminere Patres Concilii Cloveshoviensis c. 27. Tertio Roberti Cenomani, Potamii Breaccensis Episcopi, & Episcopi Lincolnensis, de quo Gregorius VII. lib. 1. epist. 34. Et ipse Thomas Centuariensis in litteris confessus est Alexandro III.

de quo Baronius ad An. 1164. Hos vero per litteras fuisse absolutos ab Episcopis & Romanis Pontificibus ex historicis monumentis ibi probat idem Witasse. Tournelius tamen existimat, ex his exemplis tuto asseri non posse, Confessionem vel absolutionem per litteras factam unquam judicatam fuisse licitam, eaque de absolutione à censuris, vel de confirmatione absolutionis ore factae explicare conatur. Quidquid sit, hujusmodi Confessiones improbatæ sunt olim à S. Th. Quodlib. 7. art. 1. à Synodo Nemaufensi An. 1284. & apud Grat. dist. 1. de Penit. cap. quem penitet. Veritæ vero sunt, quin probabilius invalidatæ à Clemente VIII. in suo Decreto de An. 1602. quod antevertisse videtur Synodus Trid. Sess. 14. c. 2. ubi ait: Eos, qui se crimine aliquo post baptismum contaminaverint, ante hoc tribunal tanquam reos sibi voluit Christus, ut per Sacerdotum sententiam, quoties ab admisis peccatis ad ipsum penitentes confugerint, possent liberari.

29. Quamvis olim, sicut nunc, Fideles quoties vellent Confessionem facere possent; varia tamen tempora prioribus etiam Saeculis constituta fuerunt pro faciendi exomologesi.

Imprimis laudabilis olim vigeat consuetudo, ut à capite Quadragesimae, praesertim vero Feria IV. praecedente primam Dominicam, Fideles peccata confiterentur, ut habet Vetus Canon apud Burcardum lib. 19. N. 2. & alii plures, quos referunt Menardus & Martenius. Eam ob rem ea die Fidelium capita cineribus aspergantur, quoniam inibat post Confessionem penitentiae studium, ut reconciliarentur feria V. aut VI. Majoris Hebdomadae: de qua reconciliatione loquitur Innocentius I. cujus locum supra retulimus. Praeterea nonnulli Episcopi Plebem adstringebant suam, ut confiterentur ter in anno, ut constat ex Concil. Tolet. A. 1228. c. 3. Vigorniensis A. 1240. c. 16.

c. 16. & Albiensis 1. 1254. c. 9. Nonnulli alii praeter festum Paschale, quinque aliis festivitibus Confessionem aligarunt; id est, Nativitatis, & Ascensionis Domini, Pentecostes, Assumptionis B. M. V. & omnium SS. ut in Synodo An. 1485. monuit Trilandus Archiepiscopus Senonensis. Et de Nativitate Domini de Anglia jam ab An. 657. testatur Egbertus Episcopus Eboracensis, ubi leguntur non solum Clerici, sed etiam Clericorum familiae ex consuetudine praescripta Confessionem auricularem peregrisse, quam utique non diu ante edocti sunt ab Apostolo Augustino, & S. Gregorio M. quod testimonium peremptorie petit Dallæum §. praecedenti refutat. Monachi denique olim ante Novitatus ingressum continebantur peccata sua vel secrete, vel etiam ad mandatum Abbatis publice, teste Climaco. Tandem per Concilium Lateranense, famoso C. Omnis utriusque sexus, &c. Confessionis necessitas ad tempus Paschale annue statuminata est, ut supra vidimus.

§. IV.

De Satisfactione.

30. Quomodo Calvinus, ut testimonium veterum Patrum de necessitate Confessionis distinctæ peccatorum, etiam occultorum, eluderet facilius, ex factio Nectarii Patriarchae Constantinopolitani ansam arripuit eos interpretandi, quod de solo usu, non de necessitate locuti fuerint; Dallæus vero servidus Calvinista ad declinandam tot tantorumque testimoniorum vim, ea de Confessione criminum publice commissorum interpretari ausus est; ita Prostantes in communi ad stabiliendam erronea sua dogmata circa satisfactionem pro peccatis, quorum primum est, remissa culpa nullam remanere poenam deinceps luendam in illius ultionem; secundum,

Tom. II.

eandem esse peccati ante & post baptismum admitti rationem; tertium, Satisfactionem, quae à Catholicis exigitur, officere Christi Satisfactioni: quibus cum tam aperte repugnet omnium Saeculorum aeternonia ab Ecclesia in injungendis penitentis tam publicis, quam privatis usurpata, ut praxim adeo manifestum suae conciliantur sententiae, dicere non verentur, poenas à Ministris Penitentibus inflatas, non fuisse exactas ad vindictam delictorum, sed ad cautelam in futurum, ad morum emendationem, ad probationem veræ penitentiae, seu potius respicientiae, & exemplum aliorum. Ita Lutherus sermone de Indulgentiis, Confessio Augullana de Satisfactione, Calvinus lib. 3. Instit. c. 4. Dallæus in peculiari de hac re libro. Quorum error prius eliminandus est afferendis Patrum sententis de necessitate satisfactionis in vindictam delicti, antequam ulterius procedamus.

31. Ecclesia à suis incunabulis constanter sensit, & poenam remissa culpa posse remanere peccatori subeundam, & hanc poenam posse minui ac deleri laboriosis operibus vel à Penitente assumptis, vel à Ministro Sacramenti penitentiae injunctis: & hinc Poenas constanter exegit à peccatoribus non tantum ad cautelam in futurum, morum emendationem, probationem veræ penitentiae, & exemplum aliorum; verum etiam in vindictam peccati & compensationem poenae à Deo taxatae.

Primum hujus propositionis membrum hic sumimus, inferitur enim à posteriori ex dogmate de Purgatorio, de quo aliqua diximus lib. 3. tit. 41. N. 43. & tit. 30. & à nostris invicte probatur plurimis Scripturae exemplis Adami, Moysis, Israelitarum in deserto, Davidis, &c. ubi legitur à Deo remissa culpa remanente poena. Circa secundum vero, quod ex operibus hujus instituto hic proprie disquirendum venit, supponimus Deum remittere non tantum posse culpam sine omni

Yyy

exa-

exactione pœnæ, quin actū illam ita remittere in baptismo adultis post patrata gravissima scelera collato; at cum ex thesi de Purgatorio à Catholicis sumpta, & invicte probata hoc facere in omni remissione culpæ non teneatur, quin nec faciat, dum culpas post baptismum commissas remittit; jam disquirendum est, an Ecclesiam constanter censuerit pœnitentias tum publicas, tum privatas peccatoribus esse imponendas, etiam ex hoc sine, ut pœnæ à Deo peccatis post remissionem culpam taxatæ compensentur? Id quod ex testimoniis Patrum tanquam authenticorum testium succinctè demonstramus.

32. Ecclesiam pœnitentiam peccatoribus in vindictam criminum, & compensationem pœnæ à Deo taxatæ imponendam censuisse, testantur Patres priorum V. Sæculorum.

Pro Sæculo II. id testatur S. Irenæus lib. 3. cap. 37. ubi loquens de pœnitentia Adami: Per succinctorium, inquit, in facto ostendit pœnitentiam suam, foliis ficulneis seipsum contegens, exiltentibus aliis multis foliis, quæ minus corpus ejus affigere potuissent, condignum tamen inobedientiæ amictum fecit. Sed luculentius pro eodem & sequenti Sæculo Tertull. lib. de Pœnit. c. 7. Pœnitere non pigeat, inquit; — offendisti; sed reconciliari adhuc potes: habes cui *satisfacias*, & quidem volentem: & c. 8. Satisfactio Confessione disponitur, Confessione Pœnitentia nascitur, Pœnitentia Deus *mitigatur*. Paulo autem ante c. 6. Quam porro ineptum est, quam iniquum, pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum sustinere; hoc est, *pretium* non exhibere, ad mercedem manum mittere; hoc enim *pretio* Dominus *veniam* addicere instituit; hac pœnitentiæ *compensatione* redimendam proponit *impunitatem*. Quid clarius? Idem testatur pro eodem Sæculo Origenes homil. 6. in Exod. ubi de diversis peccatoribus loquens: Pœni-

tendo, inquit, flendo, *satisfaciendo*, deleat quod admittam est. Et homil. 15. in Levit. postquam docuit peccata in hac vita redimi posse, sic pergit: Si tamen invenerit manus tua *pretium*, quod restituat, quale *pretium*? *Pœnitentia* sine dubio lacrymis congregatum, & manibus, id est, *labore boni operis*, inventum. Eodem Sæculo S. Cyrillus de lapsis: Dominus, inquit, orandus est, Dominus nostra *Satisfactione* placandus; — qui sic Deo *Satisfecerit*, non solum Dei veniam merebitur, sed coronam. Similia sæpe alibi repetit. Pro Sæculo IV. Anastasius lib. 4. Inlit. cap. 17. Deus pœnitentiam nobis — proposuit, ut si cor mundaverimus, id est, si peccata nostra confessi *satis Deo fecerimus*, veniam consequamur. S. Ambrosius ad virginem lapsam: Grande scelus, inquit, grandem necessariam habet *satisfactionem*. Gregorius Naz. in S. Lumina post multa de pœnit. sic subjungit: *Æquale est malum & dimissio absque castigatione, & castigatio absque venia*; quandoquidem illa rotas relaxat habenas, hæc vero nimium stringit. Sed audiatur adhuc semel Ambrosius lib. de elem. & jejunio cap. 20. inquit: Habemus plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus. Pecuniam habes, redime peccatum tuum. Non venalis est Dominus, sed tu ipse venalis es: peccatis tuis vendundatus es: *redime te operibus* tuis, redime te pecunia tua. Pro Sæculo denique V. Innocentius I. epist. ad Decentium c. 7. Cæterum, inquit, de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, — cum viderit congruam *Satisfactionem*. S. Hieronymus in c. 1. Joelis: Præteritis delicias, per quas offenderat Deum, vitæ austeritate *compenset*. S. Aug. in Pl. 5. Non, Domine, non erit impunitum peccatum meum, non impunitum erit, sed ideo polo ut tu me punias, quia ego peccatum meum punio. Et serm. 351. N. 12. Non sufficit mores in melius commutare, &

& à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, *satisfiat* Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus elemosynis. S. Chrysostom. hom. 41. ad Populum Antioch. A nobis ultionem sumamus, ita placabimus Judicem. Denique, ut alia plura omitam Veterum in hanc rem testimonia, S. Leo in ep. ad Rusticum: Hujusmodi lapsis (id est, Sacerdotibus) inquit, ad promerendam Dei Misericordiam privata est pœnitentia secessio, ut illis *Satisfactio* si fuerit digna, sit etiam fructuosa. Ex his testimoniis invicte probatur Ecclesiam Romanam, Africanam, & Græcam, in quibus floruerunt relati Patres primis Sæculis, pœnitentiam necessariam judicasse ad compensandam pœniam à Deo peccatis taxatam; apparet autem plerisque inniti autoritatibus Sac. Scripturæ, Catholice doctrinæ aperte faventibus, ut Prov. 15. v. 27. Per Misericordiam & Fidem purgantur peccata. Et c. 16. v. 6. Misericordia & veritate redimitur iniquitas. Daniel. 4. v. 24. Peccata tua elemosynis redime, & iniquitates tuas misericordis pauperum. Et hinc est, quod Illyricus, Calvinus, & Kemnitius non diffiteantur perpetuam ac venerabilem Veterum in hoc capite confessionem; sed eos reprehendere malunt, quam sequi, egregii scilicet Patrum Pædagogi.

33. Pœnitentia apud Veteres dividebatur in publicam & privatam.

Propositio constabit ex dicendis.

34. Pœnitentia privata semper in Ecclesia viguit.

Propositio constat tum ex dictis supra, ubi ex S. Basilio probavimus, lapsos ob certas circumstantias non fuisse rigori pœnitentiæ publicæ à Patribus subjectos. Secundo ex eo, quod post Sæculum IV. Clerici, ut ajunt, Majores, cum à Pœnitentia publicæ obeunda immunes essent, privatæ ad eluenda peccata subjecti fuerint, de quibus S. Leo N. præced. rela-

tus. Vide etiam C. Presbyter dist. 28. & S. August. de fide & operibus c. ult. ubi triplicem fecerint pœnitentiam post baptismum: aliam publicam pro gravioribus delictis, quæ excommunicatione plebenda sint; aliam secretam pro minus gravibus; aliam quotidianam pro levibus & venialibus.

35. Publica Pœnitentia dicitur, quæ in facie Ecclesiæ palam & publice peragitur.

Pro quale tempus, à quibus, pro quibus peccatis, & qua solemnitate peracta fuerit hæc pœnitentia, jam enucleandum. Notandum vero prius ex Morino, pœnitentiam hanc primis sex Sæculis unice fere impostam fuisse, nullumque ante Sæculum VII. usum fuisse, ait, pœnitentiæ privatæ canonicæ; cum omnia crimina graviora pœnitentia publica punirentur, minus gravia Sacerdotis arbitrio & consilio. Cui tamen sententiæ obstare videtur primo, quod Clerici in Majoribus Ordinibus constituti Sæculo IV. exempti fuerint à pœnitentia publica, ac pro gravissimis delictis pœnitentia privata canonica plexi. Secundo, quod Sæculo IV. & V. multa peccata mortalia, & subinde etiam ea, quibus à Canonibus indicæ fuerint pœnitentia publica, ob graves rationes privata fuerint pœnitentia duntaxat privata, ut ex dicendis constabit.

36. A nascente Ecclesia ad Montani hæresim, quæ circa medium II. Sæculi caput extulit, nullum certum tempus peragendæ pœnitentiæ legitur præfixum, & conjicere licet brevis illud fuisse. Quantum ad 1. p. in lib. *Pastoris*, qui tanto apud Veteres in pretio fuit, frequens occurrit pœnitentiæ mentio, nullam legitur tempus expressum. 2. Eusebius L. 3. c. ult. conversionem & pœnitentiam Natalis Episcopi narraans, ejus subitam receptionem describit. 3. Ter-

tullianus, etsi in lib. de pœnit. necessitatem pœnitentiæ pluribus commendat, nusquam tamen præfixi alicujus temporis meminit. Neque veritati propositionis obest Canon 23. Apostolorum à nobis relatus lib. 1. Tit. 2. N. 25. namque nemo tam rudis, inquit Tournelius, & ineruditus ignorat, Canones illos Apostolorum non esse. De quo vide nostram differt. ibi.

Secunda pars suadet exemplo Apostoli, qui Corinthium incestuosum Ecclesiæ restituit, anno nondum, vel ad summum vix expleto. Item ex historia Juvenis illius, quem S. Joannes post latrocinia brevi tempore in communionem Ecclesiæ recepit. Historiam ex Clemente Alex. refert Eusebius lib. 3. c. 23.

37. A Montano ad hæresim Novatianam, hoc est, à Sæculi II. fine ad Sæculi III. senium, etsi in specie nullum determinatum sit à Patribus agendæ pœnitentiæ tempus; paulo tamen diuturnius hoc fuit, severiusque cum pœnitentibus tum agere cœpit Ecclesia.

Prior pars patet ex silentio tum Cornelli Rom. Pontificis, tum S. Cypriani in suo Carth. Concilio in causa lapsorum habito: nullum etenim his in Conciliis præfinitum legitur tempus, quo necessum fuerit lapsos in laboribus pœnitentiæ detineri.

Secunda vero probatur ex causa lapsorum, qui libellis Martyrum muniti, vel nulla, vel levissima acta pœnitentia reconciliari postulabant, adversus quos, sicut & Presbyteros in concedenda ipsis venia oppido liberaliores graviter invenitur S. Cyprianus. Eorum vero occasione duplex emissum est decretum: prius provisorium, quo nempe provisum fuit, ut lapsis ejusmodi pax & communio concederetur, si urgeret mortis periculum; alterum vero peremptorium, quo statutum fuit, ut si nullum esset mortis periculum, lapsi plenam agerent pœnitentiam. Cujus Decreti meminit S. Cypria-

nus ep. 52. ad Antonianum, in qua dicit: *Decretum esse - - ut traberetur diu pœnitentia, & rogaretur dolenter Paterna Clementia.*

38. Post Novatum, seu Sæculo IV. severissima fuit Ecclesiæ disciplina circa pœnitentes, atque præfinitum ejus per plures annos, pro conditione criminum, peragendæ tempus.

Qui de veritate propositionis convinci vult, pervolvat Canones Nicænos, Illiberitanos, Ancyranos, Neocæsarienses, &c. hoc Sæculo editos, quorum faciem conspiciere licebit Lib. 1. Tit. 2. N. 75. ubi Canones Pœnitentiales ad longum retulimus, è quibus multi ex his Conciliis Sæculo IV. celebratis desumpti sunt. Canonem 11. Concilii Nicæni de lapsis in idololatriam sævitia persecutionis Licinianæ adduco; ubi dum Patres decernunt in tales clementia & benignitate se uti velle, subdunt: *Quicumque ergo germane & vere pœnitentia ducuntur, tres annos inter Auditores exigent, ut Fideles, & septem annis prosperentur supplices: duobus autem annis absque oblatione erunt orationum cum Populo participes. Quid vero in his gradibus pœnitentiæ sustinendum erat, mox videbimus.*

39. Eodem Sæculo pœnitentia publica in quatuor quoque gradus solemniter distributa fuit, nempe in Fletum, Auditionem, Substrationem, & Consistentiam.

Propositio constat ex SS. Gregorio Thaumaturgo, Basilio, Gregorio Nysseno, & aliis bene multis veteribus monumentis. Illos etiam gradus sparsim expressos reperiet benevolus Lector in Canonibus Pœnitentialibus L. cit. à nobis adductis. Post quos à N. 79. quo remittitur, gradus hos descriptos reperiet. Hos autem gradus non fuisse institutos ante medium III. Sæculi, sed circa tempus hæresim Novatianæ ex silentio Authorum horum Sæculorum probat Tournelius, & ex eo, quod S. Gregorius Thaumatur-

qui

qui An. 240. creatus est Neo-Cæsariensis Episcopus, eos primus expresserit ep. Can. Canone 11. Et quamvis detur Morino hunc Canonem huic epistolæ subinde fuisse assutum, quod negat Tournelius, eorum graduum in aliis Canonibus meminit S. Gregorius, septimo nimirum & octavo. Ut autem pateat quanto tempore Pœnitentes in unoquoque gradu hærent, adducendus est Can. 56. epistolæ Basilii. *Qui sua sponte interfecit, inquit, & postea pœnitentia ductus est, viginti annis Sacramento non communicabit; viginti autem anni sic in eo dispensabuntur: debet quatuor annis desistere, stans extra fores Oratorii, & Fideles ingredientiæ rogans, ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuntians. Post quatuor autem annos inter Auditores recipietur, & quinque annis cum ipsis egredietur. Septem autem annis cum iis, qui in substatione orant, egredietur. In quatuor autem annis solum stabit cum Fidelibus, sed non erit oblationis particeps: iis autem expletis erit Sacramentorum participes.*

O gravem & castam tunc Ecclesiæ disciplinam! inquit Witassius: quam hæc digna Dei læti Majestatis, quam Religio Christianæ Sanctitati consentanea! Quis criminum pondus non sentiebat? quis ea non cavebat in futurum? Nunc ut peccare ludus est, sic & pœnitere & confiteri; quotisqueque enim est, qui si lachrymulam fundat, præclare se gravissima quæque scelera redemisse non existimet? quis non conqueritur, si vel per aliquot dies, omnibus licet flagitiis copertus, à tremendis Mysteriis arceatur? Adeo à Majorum Religione degeneravimus!

Observavi vero apud Latinos à quarto Sæculo veritum esse Pœnitentibus, 1. Ne conjugio uterentur: quod in causa fuit cur Concilium Arelatense secundum Can. 22. & Agathense decernant pœnitentiam Conjugatis non nisi ex consensu

dandum. 2. Ne Matrimonium deinceps inirent: Concilium Arelatense II. Can. 21. Pœnitentes, quæ defuncto viro alii nubere præsumpserint, — cum eodem ab Ecclesiæ limine arceantur. Quamobrem eadem Synodi nolunt juvenibus passim ac temere pœnitentiam concedi. Juvenibus, inquit Agathense Can. 15. Pœnitentia non facile committenda est, propter ætatis fragilitatem. Aurelianense III. Can. 24. Ne quis pœnitentia benedictionem juvenibus Personis credere præsumat. Certe Conjugatis nisi ex consensu partium ætate jam plena dare non audeat. 3. Ne militarent. 4. Ne implicarent se negotiis Sæcularibus. 5. Ne epulis interessent aliorum. Idem Aurelianense III. Can. 25. Si quis pœnitentia benedictione suscepta ad sæcularem habitum militiamque reverti præsumpserit, viatico concessio, usque ad exitum excommunicatione plectatur.

Dixi autem à IV. Sæculo & apud Latinos, 1. Quia nihil ejusmodi apud Græcos Scriptores legitur. 2. Quia tribus prioribus Sæculis id non videtur apud Latinos invaluisse, ut ex Tertulliano, & S. Cypriano, qui prolixè de pœnitentia loquuntur, manifestum est. Hæc Witassius laudatus. Nunc ad Personas progrediendo, quæ pœnitentiæ publicæ subdebantur.

40. Laici cujuscumque dignitatis, etiam Imperialis, primis quatuor Sæculis pœnitentiæ publicæ subiciebantur, cum id peccatorum commissorum exigebat ratio.

Propositio patet famosis exemplis Imperatorum Philippi, de quo Eusebius lib. 6. Hist. c. 34 & Theodosii, de quo S. Ambrosius. Clericos pariter inferiores, sicut & Monachos & Moniales Sæculo IV. & seqq. eandem subisse sortem ostendit Morinus lib. 6. c. 13.

41. An tribus primis Sæculis Majores Clerici pœnitentiæ publicæ subditi fuerint? controversia est inter modernos Eruditos.

Affirmat Morinus lib. 4. c. 12. Witassius sect.

sect. 3. de *subjecl. pœnit. publ.* negat Albaspinæus observatione 6. & 7. in Optatum, ubi depositionis pœnam, ac Laicam Communionem Majoribus Clericis, graviorum peccatorum reis, impostam fuisse ostendere conatur, cui subscribit Tournelius de *Sac. Pœnit.* q. 8. art. 4. Qui ad præcavendam in hac controversia æquocationem prævie monet, per pœnitentiam publicam non aliam intelligi debere, quam luctuosam illam & solemnem, quæ in tertio præsertim gradu, qui dicebatur *Substratio*, peragebatur, in quo Pœnitentes cinere conspersi, induti sacco, ac plane lugubri habitu variis laboribus ac pœnis exercebantur in conspectu totius Ecclesiæ, frequenti manu impositioni Episcopi substrati; subditque: *Si quis alium modum pœnitentiæ hinc fingeret, à scopo nostræ questionis aberraret.* Inutilem deinde illorum distinctionem rejicit, qui distinguunt inter pœnitentiam publicam, & manuum impositionem, quique Clericos publicæ pœnitentiæ subijciunt, non manuum impositioni. His positis, qui affirmativam tenent, suam sententiam firmare nituntur autoritate Canonum Apostolorum 28. 29. & 61. qui legi possunt lib. 1. tit. 2. à N. 25. 2. Ex variis Canonibus Conciliorum Illiberitani, Ancyrani, Neo-cæsariensis, &c. 3. Ex autoritatibus Tertuliani, Cypriani. Quæ omnia volunt esse testimonia Sæculi III. At respondent negantes, ex nulla harum autoritatum extendi posse, eas loqui de pœnitentia publica in rigore sumpta, dicuntque eas intelligendas esse de excommunicatione, & depositione: dumque in Canone 76. Illiberit. leguntur Diaconi pœnitentiæ publicæ subiecti, respondent, à dictis Patribus Ordinem Diaconatus vel non fuisse connumeratum inter Ordines Majores, vel dictos Diaconos gradu excidisse. Ad exemplum vero Natalis Episcopi pœnitentiam publicam agentis, dicunt, certe id voluntarie ab ipso factum, id quod ejus

historia innuit apud Eusebium lib. 5. c. ult. Ad testimonia denique Prosperi, Concilii Arelatensis, & Aurelianensis, ajunt, ea esse Sæculo III. posteriora, & hinc ad rem non facere. Ex quibus omnibus pro stabilienda sententia negante eliciunt primo argumentum negativum, hoc silentiū omnium monumentorum horum trium Sæculorum. Cui subnectunt testimonia positiva, & primum desumunt ex Optato Milevit. lib. 2. contra Donatistas, ubi inter cætera eos graviter reprehendit, quod rem hætenus in Ecclesia *injustam*, ac *plane insolentem* perferissent, nempe, quod Episcopos & Presbyteros, qui Idolis thura adoleverant, *publicæ pœnitentiæ* addixissent. Et L. 1. N. 24. refert Melchias Summi Pontificis, & 18. Episcoporum sententiam, qua prosperitatis est Donatus, eo quod confessus esset, se *rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse, quod alienum est*, inquit, *ab Ecclesia.* Hanc porro manus impositionem non tantum ordinatoriam fuisse, sed etiam in pœnitentiam, ostendit Albaspinæus Observatione 6. in Optatum, & aperte constat ex priore ejus loco, ubi ait: *Multis notum est, & probatum, persecutionis tempore Episcopos aliquos inertia à Confessione nominis Dei delapsos thurificasse, & tamen nullus eorum, qui evaserunt, aut manum lapsis imposuit, aut ut genua figerent (en pœnitentiam publicam) imperavit. Et facitis vos hodie post unitatem, quod à nullo factum est post thurificationem?* Audis, inquit Tournelius, à nullo factum est? Teste igitur Optato Scriptore IV. Sæculi nullus ad suam usque ætatem Clericos Majores ad pœnitentiam publicam adegerat. Ex his sententia negans mihi videtur probabilior, quam etiam stabiliunt testimonia N. seq. referenda.

42. Certum est Sæculo IV. & deinceps Clericos in Majoribus Ordinibus constitutos pœnitentiæ publicæ subiectos haud fuisse.

Id patet primo ex testimonio Optati Milevitani N. præcedenti relato, & confirmatur ex ep. 2. Leonis, alias 92. ubi ait: *Alienum est à consuetudine Ecclesiastica, ut qui in Presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitenti, quod sine dubio ex Apostolica traditione descendit.* — Hujusmodi lapsis ad promerendam Misericordiam Dei, privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. Eiusdem sententiæ est S. Hieronymus ep. 93. alias 48. S. August. lib. 2. de Baptismo c. 1. S. Prosper lib. 2. de vita contempl. c. 7. quamvis ibi fateatur eodem Clericos pœnitentia publicæ sponte se subiecisse. Concilium denique Carthag. V. An. 398. Can. 11. sic habet: *Confirmatum est, ut si aliquando Presbyteri vel Diaconi in aliqua graviore culpa convicti fuerint, qua eos à Ministerio necesse fuerit removeri, non eis manus, tanquam Pœnitentibus, vel tanquam Fidelibus Laicis imponatur.* Plura in hanc rem etiam sexti Sæculi Concilia adducit Tournelius. Nec contrarium sancivit Felix III. Leonis Successor ep. 7. Quamvis enim velit Clericos majorum criminum reos usque ad mortem in pœnitentia jacere, non tamen publica, verum *sub oculis probatissimi Sacerdotis* solummodo. Causæ autem, cur Ecclesia Clericos Majores pœnitentiæ publicæ subtrahendos censuerit, obviæ sunt; certe autoritas Pastoralis, Magisteriumque virtutis illis commissum magnum pondus contrariæ æconomia amisisset.

43. Peccata primis Ecclesiæ Sæculis distinguebantur in publica & occulta; utraque vero dividebantur in dicta vulgo canonica, & non canonica; publica vero in publica juridice, & non juridice.

Publica erant, quæ committebantur publice coram multitudine, ut statim explicabimus. Occulta vero, quæ commit-

tebantur secreta nullo, vel solis complicibus arbitris, & contra occulta fornicatio. Canonica dicebantur, quod Canones nominatim certas ipsis pœnas imponerent; non Canonica, quibus nulla certæ pœnæ impostæ erant. Publica juridice dicebantur, cum ad Judicem Ecclesiasticum delata essent, ac per idoneos testes probata, & tali modo peccata etiam occulta fieri poterant publica, v. gr. si aliquis adulterium commisisset, atque à Marito cum duobus testibus deprehensus ad Judicem delatus fuisset. Minus juridice publica erant, cum multis quidem scandalo & offensionem fuerint, nihilominus juridice ad tribunal & forum externum Ecclesiæ delata non fuerant, nec probata: quam peccati publici distinctionem agnovit Augustinus serm. 351. alias homil. 50. inter 50. c. 4.

44. Certum est primis Ecclesiæ Sæculis peccata publica canonica, nempe idololatriam, homicidium, & adulterium, eorumque species manifestas subditas fuisse pœnitentiæ publicæ, quibus successu temporis nonnulla alia addita fuere.

Propositio apud omnes in aprico est, & vix indiget probatione. Lege Canones Pœnitentiales à nobis lib. 1. tit. 2. post N. 75. relatos, & convinceris.

45. An peccata occulta canonica publicæ pœnitentiæ fuerint subiecta ex necessitate & vi Canonum primis sex Sæculis? quæstio est controversa inter Eruditos.

Affirmant Morinus lib. 5. de *administ. Sac. Pœnit.* Albaspinæus, & alii; negat Tournelius cum aliis. Argumentum primum Morini est, quod pœnæ criminibus canonicis præscriptæ fuerint publica: cum ergo nullam distinctionem faciant Canones in iis faciendis inter peccata publica, & occulta secretoque confessa, de utriusque intelligendos esse, ait. At respondent Patroni contrariæ sententiæ: Cum Canones fuerint à Patribus concepti, ut breves

regulae morum, non omnia in illis expressa fuisse, presertim ubi usus ipse Ecclesiae eos explicabat, ut contingit in casu. Secundum argumentum ejusdem Morini est; quia, inquit, sequetur ex adversa sententia, antiquos Patres de publicis criminibus curam tantum gessisse, de occultis vero nullam. At facile negatur sequela; quia de occultis criminibus canonicis secreto se se accusantes eandem laboriosam poenitentiam ex impositione Confessarii subire debebant, quam publice Poenitentes persolvebant, dempta sola verecundia; ut patet per demonstrata in lapsis Clericis Majoribus, qui poenitentiae publicae non subiciebantur. Tertium est; quia iidem Canones mitioribus poenis plebant sponte confessos crimina canonica, quam si accusati & convicti fuissent: igitur crimina occulta poenitentia publica absolute multabantur. Sed negant consequentiam Adversarii, & probare nituntur, Canones illos loqui de spontanea Confessione criminum *semi-publicorum*, hoc est, quae in iudicium quidem delata, probata tamen *authentice* minime fuerunt. Denique ad testimonia, & oeconomiam Veterum Patrum ajunt, ex illa solum extendi posse, eos Laicis *consultuisse*, ut pro occultis criminibus secreto confessis poenitentiam publicam susciperent, id vero minime fuisse *praecipuum* lege aliqua Ecclesiastica; quod monstrant tum ex eo, quod asserentes nullam talem legem adducere possint, ut patet ex solutionibus datis; tum etiam quod Patres & Concilia asserunt publicam poenitentiam publicis, secretam secretis peccatis esse insidendam, ut testatur S. Aug. serm. 82. alias 16. de *Verbis Domini* c. 7. inquit: *Corripienda sunt coram omnibus, quae peccantur coram omnibus; ipsa vero corripienda sunt secretius, quae peccantur secretius.* Concilium Carthag. III. An. 397. c. 32. & alii Patres à Tournelio relati. Et haec est controversia de peccatis plane occultis,

seu de peccatoribus, qui ita secreto peccant, ut nullum scandalum aliis praebant. Nam alius peccantium ordo est, qui & publice cum scandalo aliorum peccant, quique vel deferuntur ad Tribunal Ecclesiae, vel sponte *confitentur*, quos poenis publicis coercendi jus & auctoritatem semper habuit, & etiamnum habet Ecclesia, cujus usum & exercitium prudentiae Episcoporum reliquit Concilium Trid. Sess. 24. de *Ref.* c. 8. Alius denique ordo peccantium illorum est, qui cum scandalo multorum peccant quidem, sed nec *deferuntur*, nec criminis patrati *convincuntur* apud Judicem Ecclesiasticum: & hos aliquando publicam poenitentiam subiisse ex consilio, vel etiam praeccepto Sacerdotis, aut ex pietate, patet ex Origine Hom. 2. in Psalm. 37. supra N. 13. relato, quia oeconomia subinde lufos fuisse Confessarios circa peccatores plane occultos, ex eodem liquet.

46. Pariter controversum est inter Eruditos, an omnia peccata mortalia indifferenter unquam fuerint poenitentiae publicae subiecta?

Quaestio procedit saltem de peccatis publice commissis, & de Lege Ecclesiastica; nam poenitentiam publicam pro peccatis etiam non canonicis primis VI. Ecclesiae Saeculis à Sacerdotibus fuisse vel consultam, vel sponte susceptam, non est qui dubitet. Qui hoc negant, duobus motivis ducuntur; primo; quia nec veteres Scriptores, qui tertio Saeculo floruerunt, Tertullianus, S. Cyprianus, S. Gregorius Thaumaturgus, neque Concilia, quae initio IV. Saeculi celebrata sunt, alia peccata praeter tria gravissima Idololatriam, Homicidium, & Adulterium, eorumque species manifestas publicae poenitentiae ad dicunt; ut patet ex Canonibus Conciliorum Illiberit. Ancyranum, & Neo-Caesariensis, & ex C. 2. Concilii Tolet. I. An. 442. Secundo, quia Veteres aperte significare videntur, ab ista lege poenitentiae publicae libera fuisse nonnulla mortalia.

lia peccata. Plura testimonia refert Tournelius L. cit. inter ea est Canon 4. Neo-Caes. quo adulterium cogitatione perpetratum poenitentia luctuose ac publice subducitur; item Can. 7. Laodicenus, quo Hæretici per solam fidei professionem & chrismationem, & Can. 8. Nicænus, quo Cathari, seu Novatiani per solam manus impositionem recipiuntur. Et S. August. (ut Basilium, & Greg. Nyss. transeamus) ep. 22. alias 64. testatur, ætate sua in Ecclesia Carthaginensi comestiones & ebrietates, quæ etiam ad Martyrum sepulchra falsæ pietatis animo à rudiore plebe committebantur, nullis publicis poenis repressas & castigatas fuisse. Qui vero affirmant, præcipue utuntur autoritate Tertulliani, qui in lib. de *Poenitentia* cap. 4. ait: *Omnibus ergo delictis voluntate commissis, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui poenam per judicium destinavit, idem & veniam per poenitentiam spondit.* Hanc vero poenitentiam luctuosam & publicam fuisse, evincere conantur, quod in eodem libro cap. 9. & c. describit poenitentiam publicam. Respondent negativæ sententiæ Patroni, Tertulliani Librum de Poenitentia in duas veluti partes generatim esse distribuendum, quarum prima incipit à cap. 1. ad 7. altera à 7. ad ultimum usque perducitur: in prima ergo libri parte eum volunt verba facere de poenitentia secundum se, cui omnia delicta mortifera sua ætate subici debuerant, in secunda vero de poenitentia publica. Lector, quam malit sententiam, amplectatur. Hic adhuc observandum ex Morino, multiplicem fuisse inter poenitentiam publicam impositam pro peccatis publicis, & eandem impositam pro peccatis occultis differentiam: pro peccatis publicis ac notoriis, quæ totam Ecclesiam commovebant, manus imponebantur ab Episcopo vel Presbytero publice in medio Ecclesiae ante absidem, hoc est, in gremio navis Ecclesiae; Absis enim vel ab-

sida est Sanctuarium Ecclesiae. Eaque manus impositio eo ritu fiebat tam in poenitentiae impositione, quam Poenitentis absolutione, seu reconciliatione.

Dum vero occultis erant crimina, necesse non erat publice in medio Ecclesiae per manus impositionem poenitentiam imponere, ut Poenitentem acta poenitentia publice reconciliare, sed sicut peccata illa secreto Sacerdoti vulgerantur, ita quoque secreto poenitentia imponebatur, & reconciliatio fiebat.

Hinc altera consequebatur differentia; quod publice poenitens ob crimen occultum, acta poenitentia, secreto posset inconsulto Episcopo à Presbytero reconciliari; secus vero poenitens ob peccatum publicum. Hic enim cum non nisi publice reconciliari possit, etiam sine speciali Episcopi licentia (nisi extrema necessitas licentiæ petendæ tempus intercluderet) à Presbytero reconciliationem obtinere nequibat. Interdictum enim erat Presbyteris Poenitentem publice reconciliare.

Utrumque non obscure indicat Canon 32. Concilii Carthag. III. qui in duas partes divisus refertur à Gratiano Cauf. 26. q. 6. c. 14. & q. 7. Can. 5. Verba Canonis sunt: *Ut Poenitentibus secundum differentiam peccatorum Episcopi arbitrio poenitentiae tempora decernantur, & ut Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet Poenitentem nisi absentis Episcopi necessitate cogente, cuiuscumque autem poenitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod universam Ecclesiam commoverit; ante absidem manus ei imponantur.*

Altera differentia eaque notabilis erant. Cum publicum erat peccatum, ad agendam publicae poenitentiam peccatores excommunicatione & omnimoda ab Ecclesia expulsi cogi poterant. At cum peccatum erat occultum, poenitentia publicæ actio erat spontanea, hoc est, ad eam cogi non poterant ulla excommuni-

catione aut Sacramentorum publica denegatione; peccatori equidem ejusmodi secreto contenti, nisi penitentiam canonicam agere vellet, reconciliationem secreto denegabat Sacerdos; sed quod ultra in eum ageret, nihil habebat.

47. Disciplina imponendi penitentiam publicam pro peccatis occultis, sive in Lege Ecclesiastica fundata, sive arbitrio Sacerdotum relicta (N. 45.) in Ecclesia Latina perseveravit usque ad finem Sæculi VII. quo aboleri cepit.

Propositionem multis probat Morinus lib. 7. c. 1. docetque ab eo tempore vulgari cepisse commune atque hodie ab omnibus receptum axioma: *De peccatis publicis publice, de occultis occulte esse penitentium.* Unde Concilium Rhemensis II. An. 813. Can. 31. ait: *Discretio servanda est inter penitentes, qui publice & qui absconse penitere debeant.* Notat vero idem Morinus, quod mutatio illa facta non sit physico more in momento temporis, aut Concilii Generalis decreto, sed paulatim & tacito quodam Ecclesiarum consensu; atque hinc contigit, ut alibi serius, alibi citius hæc mutatio recepta fuerit. Quo non obstante ex eodem Morino constat, magnum nihilominus Sæculis aliquot sequentibus extitisse numerum penitentium publicorum, veste, loco, victu, totaque vitæ diæta à Fidelibus in Ecclesia divisum. Quin usque ad Sæculum XII. in peccata canonica penitentis publicis quoad substantiam, omiſſa sola solemnitate publicitatis, fuisse animadversum, ostendit idem Morinus c. 21. 22. 23.

48. Inter Sæculum VII. & XII. mos inolevit loco penitentiae publicæ in Ecclesia coram omnibus obeundæ, imponendi tum peregrinationes, tum Monachicam Professionem: item redimendi eandem penitentiam publicam.

De peregrinationibus testatur Theodorus in Penit. Rom. Tit. 3. c. 24. *Si quis fornicatus fuerit, --- Si Episcopus,*

--- ex omni officio deponatur, --- peregrinando finiat dies vite sue. Monachicam vero Professionem occisori Monachi aut Clerici imponit Capitularium lib. 6. c. 6. & c. 90. Uxoricide vero Penitentiale Rom. Tit. 1. c. 11. Vide Morinum lib. 7. c. 15. qui etiam refert consuetudinem imponendæ peregrinationis à multis fuisse improbatam. De quo vide Rabanum Penitentialis cap. 11. & Capitularium lib. 1. c. 49.

Penitentiae autem publicæ iis Sæculis redimebantur: 1. precibus ad certum numerum dictis, certa pecuniæ summa, aliisque id genus, ut habet Penitentiale Rom. Tit. 9. c. 25. Ex hac vero penitentiae redemptione orta est ratio penitentiae plurimorum annorum intra paucissimos dies absolvendæ: ita ut 6. dierum spatio penitentia 100. annorum defungerentur, quemadmodum narrat Sæculo XI. Petrus Damiani in vita Domini Loricati. Inde etiam consuetudo profuxit penitentiam ad 100. & 1000. annos infingendi, unde indulgentiæ illæ multorum millium annorum profluxerunt. 2. Spontaneis flagellationibus. 3. Sacris expeditionibus. 4. Certa erogatione stipis ad ædificandas vel reparandas Ecclesias. De quo uberius infra N. 86. & 87.

49. Modi hi redimendi penitentiam publicam multum contulerunt, quod Sæculo XIII. ejusdem vix ulla cura superfuerit, quæ tamen penitus extincta non fuit.

Ejusdem enim penitentiae meminerunt Robertus de Flammberg Penitentiarium Parisiensis, & Petrus Pictaviensis Auctores hujus Sæculi, quorum primus Penitentibus, qui eam tum facile redimere poterant, auctor est, ut eam peragant; Guillelmus vero Parisiensis eas abolendas censet. Rariorem quoque ævo suo extitisse solemnem penitentiam testatur Durandus in 4. dist. 14. q. 4. ad 3. qui pro more in Scholis invalescente solemnem penitentiam à publica distinguit. Solem-

nis fiebat emensione quatuor illorum graduum ac stationum, quas supra recensuimus; publica non ita. Quæ tamen distinctio primis sex Sæculis incognita fuit, illaque in Scholas post Gratianum inducta fuit ex non accurato intellectu veterum monumentorum, quæ Gratianus sine ullo defectu attulit, ex quo defectu plures hallucinationes veteribus tum Theologis, tum Canonistis obreperunt, ut notant moderni Eruditi passim. Ex quo patet, quam utile, quin necessarium sit studium Historico Criticum ad solidam eruditionem in superioribus disciplinis comparandam, quod proinde injuste à quibusdam spernitur. Interim Trid. Sess. 24. c. 8. penitentiae publicæ usum pro peccatis publicis retinuit, eamque re ipsa multi ab hoc tempore usurparunt, & etiamnum hodie usurpant.

50. Mutata Sæculo VII. disciplina circa penitentiam publicam, peccatis canonicis occultis imponi solitam, ac postea ipsa penitentia publica deficiente, Confessarii horum Sæculorum non poterant penitentiam ad arbitrium imponere, sed juxta præscriptionem librorum Penitentialium: quæ disciplina immutata fuit per Concilium Tridentinum.

Propositio hæc quoad utramque partem explicata & probata est lib. 1. tit. 2. à N. 76. quo Lectorem remittimus, ne dicta repetamus. Qui uberiorem hujus argumenti tractationem desiderat, adeat Cl. Van-Espen p. 2. tit. 6. c. 3.

51. Publica penitentia olim pro peccatis occultis imponi solita nequaquam frangebatur sigillum Confessionis, quin penitentia publica erat utilissima tum toti Ecclesiæ, tum eam peragentibus, & unicus quasi nervus conservandæ discipline.

Prima propositionis pars patet ex eo, quod primis Ecclesiæ Sæculis multi se penitentiae publicæ ex fervore pietatis subjecerint, qui vel solis venialibus, vel nullo etiam peccato erant obstricti, ut de

Hispania præsertim testatur Morinus lib. 5. c. 7. & ex dictis patet. Tum quia hujus penitentiae impositio fiebat à Saerdote secreto; tum quia, si Patres præviderent ex impositione penitentiae publicæ crimen occultum revelatum iri, tunc penitentias publicas in privatas commutarunt, ut docet Morinus lib. cit. c. 5. & ex supra dictis pariter liquet.

Secunda vero ex eo constat, quod non videatur esse efficacius medium ad dolorem in peccatore, emendationisque propositum efficaciter excitandum, atque ad remissionem peccatorum promerendam; item ad Plebi Christianæ ideam genuinam de gravitate offensæ Divinæ Majestatis ingerendam, eamque à peccatis deterrendam, quam rigor penitentiae publicæ à florenti Ecclesiæ Patribus usurpatus. Sane stante illa felici disciplina plurimi Christiani abhorruerunt vel cogitare de illis peccatis, quæ modo à multis sine difficili resolutione committuntur, frequentantur, & Confessionibus crebris etiam subjiciuntur, atque à multis Confessariis cum levi penitentia absolvuntur, contra mentem Tridentini N. præc. relati. Quamquam enim collapsis Christianorum moribus, & fervore penitentiae pene extinctio, nec amplius possibile sit, nec omnino expediat Confessarios ad amissum Canonum Penitentialium poenæ criminibus imponere; *salvatae* tamen, & *convenienter* ad mentem ejusdem Tridentini injungere tenentur. Præterea in praxi valde utile esset, ut Confessarii notitiam exactam Canonum Penitentialium sibi compararent, quos L. cit. ad longum ex hoc sine retulimus, ut saltem Penitentibus explicare valerent, quales antiqui Christiani pro similibus peccatis penitentias subire debuerint.

52. Publica penitentia semel tantum olim concedebatur; qui vero post illam semel adimpletam in eadem, aut graviora crimina incidabant, non omnino

desperati, & ab omni spe veniæ dejecti jacebant; sed toto vitæ suæ tempore à Sacra Mensa exclusi secreta pœnitentia castigabantur, & in fine tantum veniam & absolutionem obtinebant.

Prima pars propositionis multis Veterum testimonio demonstratur à Morino. Inter quos Tertull. lib. de Pœnit. c. 5. *Hec dico*, inquit, pœnitentiam, quæ per Dei gratiam ostensa & iudicia nobis, in gratiam nos Domino revocat, semel cognitam atque susceptam, nunquam post hæc iteratione delicti resignare oportere. S. Ambrosius lib. 2. de Pœnit. c. 10. *Mérito*, inquit, reprehenduntur, qui seipsum agendum pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Christo. Origenes Hom. 15. in c. 25. Lev. In gravioribus criminibus semel tantum, vel raro pœnitentia locus conceditur. Tò autem raro irrepuisse aliena manu in Originem inde suspicari licet, quod in MSS. 800. annorum non exstet, quemadmodum neque apud Magistrum lib. 4. dist. 14. S. Aug. ep. 153. alias 54. In tantum hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam post actam pœnitentiam — vel similia vel graviora committant, — & quamvis eis in Ecclesia locus humillimæ pœnitentia non concedatur, Deus tamen super eos suæ patientiæ non obliviscitur.

Circa secundam propositionis membrum, quod negat Morinus, antiqui Scholastici, primæ Ecclesiæ praxim ex usu temporis metientes, docuerunt, si miles delinquentes post publicam pœnitentiam fuisse ante mortem reconciliatos, & absolutos pœnitentia privata, quam judicant fuisse duriorē ipsa pœnitentia publica; ne alias ex iniquitate sua lucrum reportassent relapsi, quos secuti sunt multi recentiores. Sed disciplinam Veteris Ecclesiæ fuisse nostræ propositioni conformem probatur 1. ex S. Aug. in mox cit. ep. in qua ex professo refellit eos, qui ex denegata ulteriori pœnitentia, hoc est, absolutione, & admisione ad

S. Communionem ante finem vitæ infecebant, aut ipsis desperandum esse, aut laxandam ad omne facinus licentiam; dicens, quod quamvis eis in Ecclesia locus humillimæ pœnitentiæ (post primam pœnitentiam) non concedatur, Deum super ejusmodi homines patientiæ suæ non oblivisci, bonaque pœnitentiæ opera ipsis profutura: ad quam solutionem certe non confugisset, si usum Ecclesiæ agnovisset, quo tales possent privata confessione & absolutione ad Communionem recipi: nec illi desperatas has quæstiones eidem formassent, si hæc via expiari tum concessum fuisset. Probat II. ex Siricio Papa ad finem Sæculi IV. sedente, qui ep. 1. ad Himerium, à quo consultus fuerat, qua ratione agendum foret cum iis, qui post actam pœnitentiam publicam tanquam canes & fues ad vomitus pristinos & ad volutabra redierunt? Cap. 5. tria decernit in terminis observanda. 1. Ejusmodi relapsi non amplius apertum esse pœnitendi publice suffragium, de hoc namque interrogatus fuerat. 2. Illos pro desperatis habendos non esse, sed debere eos in se sua errata castigare, per privatam nempe pœnitentiam. 3. Concludit: Quibus tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) Viatico munere, cum ad Dominum ceperint proficisci, per Communionis gratiam (præmissa nimirum sacerdotali reconciliatione per absolutionem) volumus subveniri. Quæ tria nostra edicit propositio. Plura de hac mat. vide infra.

§. V.

De Absolutione.

Supponimus in præsentī materia quæstionem Juris, seu dogmaticam circa ipsam Absolutionem à legitimo Sacerdote factam, an nimirum sit tantum declaratoria remissionis peccati, si de credentis se esse absolutum jam remissi,

missi, ut volunt Protestantæ à Trid. Sess. 14. Can. 9. confixi: vel an sit remissoria, seu actus judicialis, ut definiit eadem Synodus Canone cit. & nos probavimus h. t. N. 6. Sumimus præterea, ne quæstionibus scholasticis implicemur, Christum sicut in aliis quibusdam Sacramentis, ita neque in hoc formam, quæ actum judicalem remissivum exprimat, atome determinasse, sed Ecclesiæ suæ determinandam reliquisse. Id enim ipsa praxis Ecclesiæ infra referenda declarabit. Supponimus denique triplicem potissimum esse modum, quo enuntari & exprimi potest forma Absolutionis, nempe vel modo deprecativo, v. g. *Quisumus Domine absolve*, vel modo imperativo, *Absolvatur*, qui modus, ubi de Ministro Sacramentorum agitur, ad deprecativum deducitur, neque enim homo Deo imperat; vel denique modo indicativo, *Absolve te*. Sed neque circa hos tres modos quæstionem Juris instituimus ex professo, quis eorum requiratur ad substantiam Sacramenti; hujus enim libri tam Titulus VII. de Hæreticis, quam præfens, pro sui exacta tractatione ejusdem molis tomum, (1) ac præfens est, si non majorem, exigent: verum solam quæstionem facti circa absolutionem tum deprecatoriam, tum indicativam in Ecclesia subinde usurpatam, cum perpetua fide, quod absolutio Sacramentalis sit actus judicialis, pertractabimus: & præterea historice discutietur, an absolutio Sacramentalis quorundam criminum reis subinde denegata fuerit, vel protracta, &c. Ulterius, an data fuerit ante vel post peractam pœnitentiam?

54. Extra dubitationis aleam omnino positum est, à primo nostræ Religionis ortu usque ad XIII. Sæculum apud Latinos formam absolutionis passim fuisse deprecatoriam.

Propositionem hanc testimonio irrefra-

gabilibus Patrum, Conciliorum, ac Scriptorum, nec non librorum Pœnitentiarum horum sæculorum in apicum posuit sæpe laudatus Morinus in suo de Administratione Pœnitentiæ libro, ex quo ea exceperunt, qui post ipsum scripserunt, Witassius, Tournelius, Van-Espen, &c. Aliqua hic adferemus, & quidem pro Sæculo II. librum Tertull. de Pudicitia, in quo c. 2. generatim ait: *Ubi est postulationis copia, illic etiam remissionis; ubi nec postulationis, ibi neque remissionis*. Pro Sæculo III. S. Cyprianum, qui libro de lapsis eos exhortans ad pœnitentiam, qua acta absolutionem recipiunt: *Rogamus vos*, inquit, *ut pro vobis Deum rogare possimus; preces ipsas ad vos vertimus, quibus Deum pro vobis ut misereatur oramus; agite pœnitentiam plenam*. Pro Sæculo IV. S. Ambrosium, qui lib. 3. de Sp. S. c. 18. ait: *Isti (Sacerdotes) rogant, Divinitas donat: humanum enim obsequium, sed misericordia supremæ est potestatis*. Pro Sæculo V. S. Augustinum serm. 99. olim homil. 23. inter 50. qui adversus Donatistas disputans, qui sibi confident arrogare videbantur remissionem peccatorum, eos refellit exemplo Christi, qui non dicebat Mulieri: *Ego remitto*, sed modestius, *Fides tua te salvam fecit*, dum ait: *Medicus bonus agros non solum presentes sanabat, sed & futuros etiam prævidebat. Futuri erant homines, qui dicerent: Ego peccata dimitto. — O Hæretice, tu cum sis homo, dicis, Veni Mulier, ego te salvam faciam. Ego (Christus) cum putaver homo, dixi, Vade Mulier, Fides tua te salvam fecit. Cui textui subdidit Witasse, si tunc temporis usitata fuisset hæc formula: *Ego te absolvo à peccatis tuis*, totum corruisset Augustini argumentum. At, mea quidem sententia, non corruisset; cum Augustinus cum Ecclesia Catholica suo ævo crediderit, Min-*

istros

(1) Vide Typographi Præfationem.

stros Ecclesiarum vere absolventes Pœnitentes, quamvis ministerialiter solum, ut patet ex dictis N. 6. &c. Et hinc solum arguisse Donatistas, quod id se facere principaliter docerent, & ex hoc sine formulam indicativam adhiberent, cum Ecclesia ad exprimendam ministerialem Sacerdotum absolventi potestatem uteretur forma deprecativa. Id quod ex allato S. Augustini loco evincitur. Pro eodem Sæculo V. S. Leo ep. 136. ad Episcopos Campaniæ, *Sufficit*, inquit, *ea Confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit.* S. Leoni Sæculo VII. consentit Eligius, hæc ejus verba Homilia 4. asciscens. Et Sæculo VIII. Alcuinus lib. *de offic. div. c. de Cœna Domini* describens modum reconciliationis pœnitentium, dum verba, quibus absolventur, refert, nihil memorat præter varias orationes. Quas solas pro forma absolutionis Sæculo IX. etiam referunt Capitularia Regum Francorum. Et Sæculo X. Burchardus lib. 19. Concordant his omnibus Sacramentaria Gelasii, Gregorii M. Ordo Romanus, Rhemenfis, Rodradi, &c. quos refert Morinus, qui etiam militat pro Sæculo XI. Pro Sæculo XII. S. Bernardus vel alius Author *de modo bene vivendi c. 27.* absolutionis ritum refert, & in oratione collocat. Idem facit Petrus Celsensis lib. *de panibus c. 7.* & Petrus Cantor in *Summa de Sacramentis.* Sæculo denique XIII. seu circa An. 1230. Guillelmus Parisiensis cap. 19. *de Sac. Pœnit.* de absolutione differens: *Non more Judicum Forinsecorum*, inquit, *pronuntiat Confessor, Absolvimus te, — sed magis orationem facit super eum, ut Deus absolutionem & remissionem, atque gratiam satisfactionis tribuat.* Ad hujus quoque Sæculi finem Theologus illè, quem oppugnat S. Th. opusc. 22. de forma absolutionis, deprecatoriam absolutionem relictur voluit, objiciens S. Doctori vix 30. annos esse, quod omnes hæc sola

forma, *absolvo te*, uterentur; & ad id probandum adduxit Guillelmum ab Altissiodoro, Guillelmum Parisiensem mox relatum, atque Dominum Hugonem, quondam Cardinalem.

55. A Sæculo tamen X. præter deprecatoriam absolutionis formulam alia etiam indicans in usu fuit.

Id constat ex libro Sacramentorum, quam exhibet Hugo Menardus ad Sacramentarium Gregorii, ex Codice scripto jussu Ratholdi Corbejæ Abbatis, qui mortuus est An. 986. In eo, inter alias formulas, est etiam ista: *Absolvimus vos vice B. Petri, — cui Deus ligandi atque solvendi potestatem dedit.* Concordant alii Codices, quos recenset Morinus l. 8. c. 11. atque ille præsertim 700. circiter annorum, quem ex Bibliotheca Ecclesiæ Rhotomagensis l. 9. c. 31. allegat; in illis enim absolutio forma indicante etiam conceditur. Sic enim habet Codex Rhotomag. *Absolvimus te vice B. Petri, — cui Dominus potestatem ligandi atque solvendi dedit; & quantum ad te pertinet accusatio, & ad nbs remissio, sit Deus Omnipotens tibi vita & salus, & omnibus peccatis tuis indulget, per eum, qui vivit & regnat per omnia Sæcula Sæculorum. Amen.*

56. Sæculo XIII. à multis ambæ hæc formulæ simul conjungebantur; sed ita tamen, ut sola indicans absolutionem esse censeretur.

Utrumque membrum adstruit Alex. Alensis 4. parte Summæ q. 21. membro 1. inquit: *In forma absolutionis, præmittitur oratio per modum deprecativum, & subjungitur absolutio per modum indicativum; & deprecatio gratiam impetrat, & absolutio gratiam supponit: nunquam enim Sacerdos absolvetur quemquam, de quo non præsumeret, quod esset absolutus à Deo.* Iisdem verbis utitur S. Bonaventura in 4. dist. 18. p. 1. art. 2. q. 1.

57. Ad finem Sæculi XIII. sola indicans

cans absolutionis forma reputata est legitima, atque apud Ecclesiam Latinam jam in iis solis verbis constitit: *Ego te absolvo, &c.*

Prima pars adstruitur 1. ex S. Th. opusc. 22. *de absolutione.* Cum enim quidam voluisset deprecantem formulam, ut olim erat, in usum revocare, ei fortiter obstitit S. Doctor; & cum diceret ille, utrumque Guillelmum, Altissiodorensis & Parisiensem pro ea stetit, eidem reponit S. Thomas: *Numquid etiamsi nunc viverent, præjudicare possent communi sententiæ Magistrorum Parisiis regentium, qui contrarium sentiunt, decernentes, absque his verbis: Ego te absolvo, absolutionem non esse per solam deprecativam orationem?* Secundo ex Francisco Mayronis, qui in 4. dist. 14. q. 9. testatur, suo, id est, XIII. Sæculo, improbatam fuisse & ab omnibus Ecclesiis eliminatam absolutionis formulam deprecantem. In hoc autem plerique omnes exinde acquirere, quod ista formula magis ad Christi in Evangelio verba accedere, & actum juridicum disertius exprimere videretur, ut ait Witasse.

Et hinc Concilium Florentinum in instructione Armenis data, quam retulimus lib. 1. tit. 1. N. 307. definit: *Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit: Ego te absolvo.* Cujus veltigia pressit Trid. Sess. 14. c. 3. ubi legitur: *Docet S. Synodus Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue vis ipsius sita est, in illis Ministerii verbis sitam esse: Ego te absolvo, &c. quibus quidem, de Ecclesia S. more, preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariae.* Ex quibus patet secunda propositionis pars.

58. Valuit, & etiamnum valet apud Græcos forma Sacramentalis absolutionis verbis deprecativis expressa.

Propositionem probat Morinus lib. 8.

c. 12. pluribus momentis. Ex quo Tournelius hæc pauca excerptit. 1. Quotquot extant Græcorum Libri Rituales veteres, & recentiores, non aliam continent, quam deprecatoriam formam absolutionis Sacramentalis, quæ incipit ab iis verbis apud Goarium in ult. edit. pag. 536. *Domine Jesu-Christe Fili Dei vivi, relaxa, remitte, condona peccata, &c.* Ac subdit: *Solis oculis opus est, ut hujusmodi argumenti deprehendatur veritas.* Lege Euthologium Græcorum, lege libros Pœnitentiales, quos ad calcem operis de Pœnitentiâ describit Morinus: nec aliam, quam deprecatoriam formulam absolutionis deprehendes. Goarius quidem duas refert formas indicativas, sed eas à Latinis ad Græcos postremis temporibus missas esse non dissimulat. Verba Goarii adfero, quæ prædictis formis ab eo pag. 540. col. 1. præmittit; sic vero sonant: *Ne tamen ignorantia & rusticitati Græcorum Sacerdotum dilectos sibi Orientales Ecclesia Romana — relinquat, suam pœnitentiæ formam, typis consignatam, à quibusdam jam receptam, ad eos transmittere, & distribuere curavit.* Dum ergo Græcorum formulæ indicativæ Romæ typis mandarentur, à paucis erant receptæ. Subdit deinde: *His Orationibus utuntur Calabria, Apuli, & Siculi Græci; Venetis namque subjecti, mentem & sensum Constantinop. Patriarchæ studiosius sequuntur (in retinenda nimirum absolutionis formæ deprecativæ); acceptaverunt quoque illas Orientales nonnulli, & ut in usum actas memini quondam mihi ab illis ostensas. Transscriptas vero, & quasi laudatas & receptas à quibusdam cum plerisque sui ritus orationibus reciter ad me misit, multa mihi necessitudine conjunctus Georgius Corefius Ecclesiæ Constantin. Theologus.* Ex quo Goarii testimonio manifeste evincitur præsens propositio, quam Witassus generalioribus terminis effert, nimirum: *Absolutio semper fuit, & etiamnum est apud Græcos de-*
pre-

precatoria; cui cum videantur mox dicta ex Goario repugnare, ad ea responderet. 1. Formulas relatas esse recentiores, & à paucis, & pro arbitrio usurpatis, atque adeo non posse esse formam absolutionis; quod tamen durum videtur asserere, cum has formulas Græci Catholici in Calabria, Apulia, & Sicilia; imo etiam Orientales utantur, teste oculato Goario. 2. Eas dici post administrationem totius Sacramenti ad dimitendum Pœnitentem, sicut apud Latinos post absolutionem quedam adhuc preces vel preces adhibentur. Quod autem illa non vera ac genuina absolutio sit, multis ait evinci. 1. Quia non ab omnibus frequentatur. 2. Quia non est in Ritualibus Libris, qui tamen sine dubio omnia complectuntur, quæ necessaria sunt. 3. Quia si verba ipsa spectes, absolutionem jam datam sonant. 4. Quia Leo Allatius in Ep. ad Morinum Tom. 1. Miscel. affirmat, eam dici post datam orationibus absolutionem. Quæ an fidem Goarii elevent, prudens Lector dijudicet. Maximi ponderis contra Goarium videtur esse, quod Græci eas formas indicativas post suas deprecativas adhibeant, adeoque post absolutionem. Et hinc Græcos hodie uti forma deprecativa ad significandam absolutionem aperte significat Clemens VIII. in instructione super Ritibus Græcorum, quam edidit An. 1595. inquit: *In casu necessitatis Presbyteri Græci Catholici possunt Latinos absolovere. Utantur forma absolutionis in Generali Concilio Florentino præscripta, & postea si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma huiusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt.* Ubi Clemens clare supponit Græcos uti forma deprecativa, eaque valide absolvi Græcos Pœnitentes. Non me latet hæc tenes dicta de usu formæ deprecativæ usque ad Sæculum XIII. inclusive in Ecclesia Latina, & in Ecclesia Græca usque ad præsens Sæculum, quibus adeo velli-

catur vulgaris olim & communis Scholasticorum sententia, propugnans eandem formam esse ineptam atque invalidam, quæque tam plausibiliter ac feliciter defenduntur à Theologis clarissimis Joanne Morino, Tournelio, Witaffio citatis, & præterea à Cardinali Gotti, Martene, Vanroy, Piette, &c. à Recentioribus quibusdam, nimirum, Fraffenio, Hennone, & Boucato, quibus novissime subscripsit Bertus, impugnari: qui Viri doctissimi propterea adducta clarissima testimonia ex tot Ritualibus libris explicare conantur de Pœnitentia Canonica, non de Sacramentali; illa vero Patrum volunt intelligi de precibus absolutioni præmissis, & adhuc præmitti solitis. Sed præterquam quod neque formulam vel unicam indicativam ante Sæculum X. ex illo Rituali vel Patre Latino in sui favorem adducere queant, cum formulæ illæ indicativæ à Berto adductæ, & à nobis N. 54. relatae illi Sæculo vel eoræ, vel juniores sint; timeo, ne sicut alii in vindicandis Canonibus Apostolorum, Constitutionibus Clementis, Epistolis Romanorum Pontificum; ita ipsi in hac materia operam perdant, hæcenus dictis manentibus inconcussis, formam nimiram indicativam Sæculo X. incepisse, & successive in auge[m] sumpsisse, usque dum ab Ecclesia Latina tanquam sola valida declarata fuit, forma deprecativa apud Græcos in suo valore persisteret, uti equidem inviste probatur ex hæcenus allatis testimoniis, præsertim Clementis VIII. Contra quæ infirma oppido sunt, quæ ex Arcudio corradit Bertus; non enim negamus cum eodem, formam indicativam à quibusdam Græcis adhiberi, quin hoc actu facti sumus; sed advertere debuisset Bertus, Arcudium lib. 4. de Pœnit. c. 3. fateri, formam illam non exflare in Euchologio, quamvis frequens sit, & in ore multorum Confessoriorum, recentiorum tamen, uti mox diximus. 59. Stante etiam hypothesi, formam de-

deprecativam in Sacramento Pœnitentiæ à Sacerdotibus subinde fuisse adhibitam in Ecclesia Latina, & de facto adhiberi in Ecclesia Græca, neutra unquam censuit, Sacerdotes solum declarare peccata Pœnitentibus esse à Deo condonata, sed conspirantur docuit, Sacerdotes ut Ministros Christi illa judicialiter ejus nomine remittere.

Propositio hæc tanquam corollarium prono alveo fluit ex omnibus testimoniis hoc titulo allatis, quæ aperte demonstrant, Ecclesiam constanter sensisse, Christum illis verbis: *Quodcumque solveritis, &c.* Apostolis eorumque Successoribus potestatem judiciariam concessisse absolventi Fideles Pœnitentes à peccatis. Quæ omnia confirmari possunt ex œconomia Ecclesiæ Græcæ, quæ, esto formula deprecativa uteretur tempore Florentinæ Synodi, quo indicativa apud Latinos jam sola obtinuit; nihilominus credidit Sacerdotes illa formulæ vere absolvere, cum Græcis à Patribus Latinis circa hoc punctum tum nihil fuerit objectum. Quam fidem de facto profitentur Græci, ut patet tum ex dictis, tum ex actis Jeremiæ Patriarchæ cum Protestantibus, &c. Nec Protestantium errori favet antiquorum quorundam Theologorum opinio, qui propugnabant necessitatem contritionis vi sua peccatum delentis, priusquam Sacerdos proferat absolutionem. Hi enim minime negabant à Sacerdote judicialem actum exerceri, minime aiebant absolutionem esse nudum pronuntiandi & declarandi officium, sed, vel affirmabant contritionem delere culpas vi subsequentis absolutionis, ejusque voto, ut ajebat Joannes Æmilianus; vel existimabant absolutionem ipsa conferri gratiæ incrementum, remissionemque peccatorum, uti late docent nostri Polemici. Dum vero quidam Veterum videntur insinuare Sacerdotes non absolvere, intelligendi sunt non absolvere principaliter, sed ministerialiter, uti explicavimus supra locum S. Au-

gustini. Quæ causa etiam videtur fuisse, quod Ecclesia à initio ipsa fuerit forma deprecativa, quæ postea ad magis indicandum actum judicialem, à Christo tam manifeste Sacerdotibus concessam, mutata fuit in indicativam. Nec in hoc scandalizentur Novatores, siquidem dudum à Nostri demonstratum est, Ecclesiam posse determinare formas atomas, materiaque Sacramentorum, quæ à Christo ita determinata non sunt.

60. Sanis gravissimorum criminum reis, pœnitentiam agentibus, aut ea perfunctis, nusquam denegata est Sacramentalis absolutio ab Ecclesiis Orientalibus, vel Occidentalibus illustrioribus.

Propositio patet ex dictis superioribus, limitatur nihilominus ad Ecclesias illustriores, cum S. Cyprianus epist. 52. ad Antonianum teltetur: *Apud Antecessores nostros, quidam de Episcopis isibic in provincia nostra dandam pacem macbis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteros clausurunt.* Quod exemplum severitatis profecto singulare fuit in his Africæ Episcopis, cujus vestigium vix alibi reperis, inquit Tournelius. Hi tamen Episcopi nequaquam cum Novatianis aut Montanistis sentiebant; Montanistæ siquidem negabant potestatem esse in Ecclesia graviora crimina remittendi; hi vero Episcopi hanc potestatem se habere credebant, sed eam specificatis peccatoribus impendere volebant. Sicut Ecclesie non admitterent secundam pœnitentiam post semel peractam publicam, nisi in fine vitæ, de quo supra N. 52.

61. An vero iis, qui pœnitentiam sani non postulerant, venia seu absolutione in ipso mortis discrimine tribus primis Ecclesiæ Sæculis concederetur, controverfia est inter modernos Eruditos.

Qui affirmant, ducuntur 1. autoritate S. Cypriani ep. 52. ad Antonianum, ubi ait: *Idcirco, Fratres charissimi, pœnitentiam non agentes, nec dolorem de-*

licitorum suorum toto corde, & manifesta lamentationis suae professione testantes, prohibendos omnino censuimus à spe communicationis & pacis, si in infirmitate atque in periculo cæperint deprecari; quia rogare illos non delicti penitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit: nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit moriturum. Idem sentit Concilium Arelat. An. 314. Can. ult. & Innocentius I. ep. 3. ad Exuperium, qui ab ipso quaesierat: Quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentia & voluptatibus dediti, in extremo vitæ suæ sine penitentiam simul & reconciliationem communionis exposuit? Duplici modo hanc quaestionem solvit, pro veteri nimirum ac nova Ecclesiæ disciplina: sic enim habet c. 2. De his observatio prior durior; posterior, interveniente misericordia, inclinatio est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur ei penitentia, sed communio negaretur; — sed postquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam depulso terrore Communionem dare obeuntibus placuit, & propter Domini Misericordiam quasi Viaticum profecturis, & ne Novatiani Heretici, negantiam veniam, asperitatem & duritiam subsequi videamus. Tribuitur ergo cum penitentia Communio. Respondent quidem negantes ad utrumque testimonium allatum, S. Cyprianum loqui de denegatione Eucharistiæ, vel Canonica cum Ecclesiæ reconciliationis, non vero de denegatione veniæ, vel Sacramentalis absolutionis. Sed quod S. Cyprianum attinet, 1. ille tali vult esse denegandum solatium, atqui absolutio Sacramentalis est maximum hac in re solatium. 2. Denegat præterea eidem Communionem, constat vero illis Saculis absolutionem non fuisse separatam à participatione Eucharistiæ. Sed Cyprianum aperte loqui de denegatione absolutionis Sacramentalis patet ex motivo ab ipso allato, quod

nampe talis non petat reconciliationem ex delicti penitentia, seu vero dolore, sed ex timore mortis; constat autem dolorem esse dispositionem præcipuam ad Sacramentalem absolutionem. Innocentium vero favere affirmantibus patet, r. quia quaestio proposita fuit ab Exuperio de reconciliatione; & hinc 2. per communionem intelligit remissionem & veniam, non Eucharistiæ participationem. 3. Quia eo communionis nomine id intelligitur, quod negabant Novatiani, & inde duri & inhumani censentur; atqui id erat absolutio Sacramentalis. 4. Huic communioni tribuitur, quod homines ab æterno exitu liberet; id vero soli absolutioni convenit. 5. Si hoc communionis nomine Eucharistiæ intelligitur, non fuisset contra effectum Innocentii prior observatio durior posterior; nam etiam postea quibusdam denegata est Eucharistia in mortis articulo. Nec te moveat, 1. quod Innocentius ibi ait: Concessam talibus esse penitentiam; hoc enim nomine non intelligit veniam, seu absolutionem, sed ritum illum, quo penitentiam cum certis precibus imponi mos erat, de quo vide Albasp. lib. 2. observ. c. 3. Neque 2. quod S. Cyprianus in eadem Ep. ait: Durissimum esse eum, qui penitentiam imponit, nec veniam concedit; loquitur enim de veniæ denegatione post penitentiam actam, quod faciebant Novatiani, non de ejusdem denegatione in casu nostro: & quamvis Cælestinus I. Sæculo V. in ep. 2. c. 2. huiusmodi denegationem vocet impietatem, ejus sententia non est æcononiam trium priorum Sæculorum extendenda; etenim, ut bene observat Innocentius L. cit. Cum illis temporibus crebra persecutiones essent, ne communionis concessio facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret à lapsu, negata merito communio est, concessa penitentia (nimirum ceremonialis illa mox explicata), ne totum penitus negaretur;

& duriolem remissionem fecit temporis ratio. Canon vero 12. Nicænus, quem N. seq. referemus, circa præfens Cap. Ad antiquam regulam provocans, intelligendus est de pace & communiione danda iis, qui penitentiam sani inchoassent, ut patet ex ejus scopo. Similiter Trident. Sess. 14. cap. 7. cum modernam Ecclesiæ praxim ait in Ecclesiâ semper esse custoditam, in sensu accommodo ad Sæculum IV. accipiendum est, quo mos iste invaluit, ut jam videbimus.

62. Sæculo IV. remisit illa severitas, tumque nulli, etiam in extremo morbo penitentiam flagitanti, absolutio denegata est.

Id pro hoc & sequenti Sæculo testantur Innoc. jam relatus, S. Cælestinus L. cit. S. Leo Ep. 91. ad Theodorum. Hic solum notandum, eos, qui venia donati erant ante peractam penitentiam, si convalescerent, compulsos exinde esse, quod sibi deerat legitima penitentia explere, sive in gradu Consistentium manendo, sive ad eam stationem redeundo, in qua eos occupaverat morbus; teste citato Nicæno Canone: quo etiam primum severitas antiqua relaxata est, quoniam pace Ecclesiæ reddita ejus cessavit motivum, nimirum periculum permanentiæ in Apostasia ob metum persecutionum. Verba Canonis adnumero: De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc Lex antiqua regularisque servabitur; ita ut si quis egreditur à corpore, ultimo & maxime necessario Viatico minime privetur. Quod si desperatus, & consecutus Communionem, Oblationisque particeps factus, iterum convalescit, sit inter eos, qui communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omnium cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi Communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter, seu, ut alii vertunt, postquam probaverit, dare debet.

63. Ad VII. usque Sæculum non videtur fuisse concessa absolutio extra ca-

sum necessitatis, nisi post expletam omnem penitentiam.

Hanc propositionem tuentur tam Sæculorum superiorum, quam moderni Theologi præstantissimi, Author Enchirid. Colonienfis An. 1536. Osius, Marianus Victorius, Bellarminus, Maldonatus, Estius, Hugo Menardus, Albaspiæus, Morinus, Caltorienfis relati à Wittaffio, quos sequitur ipse; Tournelius, aliique: & quidem fere inadurbata redditur copiosis horum Sæculorum monumentis. Et quidem pro Sæculo II. ex controversia Catholicos inter & Montanistas; nam Montanista in hoc cum Catholicis conveniebant, quod post Confessionem penitentiam imponeretur; in eo vero dissidebant, quod penitentia labores veniam non impertirentur; id quod faciabant Catholicis, qui proinde Montanistas apud Tertull. de Pud. c. 3. ingerebant, frustra agi penitentiam, si caret venia. Pro Sæculo vero III. ex controversia inter Cyprianum & lapsos, in his siquidem ferre non potuit, quod ante penitentiam pacem reposcerent. Item ex controversia Ecclesiæ inter & Novatianos, in quibus idem Cyprianus hoc velut intolerabile notat, quod penitentiam injungerent, & absolutionem non darent: quam ep. 52. Fructum penitentia esse dicit. Sed Patres ipsos adducamus, & quidem pro Sæculo II. S. Zephyrinus Papa, vel aliquis alius apud Tertull. lib. de Pudic. Ego, inquit, & mæchie & fornicationis delicta penitentia functis dimitto. Pro Sæc. III. Tertull. lib. de Penit. c. 6. Quam porro ineptum, quam iniquum, penitentiam non adimplere, & veniam delictorum sustinere? hoc est premium non exhibere, ad mercedem manum emittere. Sanctus Cyprianus tum alibi, tum epistola 59. Quæ res nos satis movit, recessum esse à decreti nostri auctoritate, ut ante legitimum, & plenum tempus satisfactionis, sine petitu & conscientia Plebis, nulla infirmitate urgente